



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis  
Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

LXVIII. Bonifacivs. III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**



vt eos Apostolica auctoritate redarguendo admoneat, & ad munditiam Ecclesiasticã perducatur: & si obedierint, saluabunt animas suas & ipse mercedem habebit. *Veruntamen colloquutionem & mensam communem cum eis agere non recuses. Plerunque contingit, vt quos correctio discipline tardos fecit, ad percipiendam veritatis normam, conuiuarum sedula pastio, & admonitio blanda ad viam perducatur iustitiæ. Idipsum autem & in ipsis proceribus, qui tibi adiutorium præstant, obseruare debebis.*

Hic auxit in canone. *Diesq; nostros in pace dispone.* &c. Huius tempore ad Dominum conuersi sunt Angli. Hic iussit, vt supra corpus B. Petri Missa celebraretur, & in Ecclesia B. Pauli eadem fecit. Hic ordinauit Episcopos 62. presbyteros 39. diaconos 8. Migrauit autem ad Christum 4. Idus Martii.

A.D.C.IV.

LXVII.

SABINIANVS.

**F**ABIANVS, natione Tuscus, de ciuitate Blera, de patre Bono, sedit annum 1. menses 5. dies 8. Hic addidit luminaria in Ecclesia B. Petri. Hic ordinauit Episcopos 26. Obiit autem 8. Kal. Martii.

A.D.C.VI.

LXVIII.

BONIFACIVS. III.

**B**ONIFACIVS, natione Romanus, ex patre Ioanne, sedit menses 8. dies 22. Hic obtinuit apud Phocatem Principem, vt Ecclesia Romana, sicut omnium Ecclesiarum caput est, ita etiam Constantinopolitanæ, quæ se omnium Ecclesiarum primam esse iactabat. Hic constituit, vt nullus viuente Episcopo de eius successore agat, sed tertio die depositionis eius adunato clero & populo fiat electio. Hic ordinauit Episcopos 22.

A.D.CVII.

LXIX.

S. BONIFACIVS. IV.

**B**ONIFACIVS, natione Marfus, de ciuitate Valeria, ex patre Ioanne medico, sedit annos 6. menses 8. dies 12. Huius temporibus fames valida, & inundationes aquarum grauissimæ fuerunt. Hic templum PANTHEON, quod vocabatur, à Phoca principe petiit. quod & consecrauit in honorem S. Mariæ Virginis, & omnium Martyrum. Hic ordinauit Episcopos 36. diaconos 8. Defunctus est autem 10. Kalend. Iunii.

LXX.